



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

8. S. Chilianus Episcopus, & Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Deum inveniret, ac in ipso omnia, omnia præter Deum dimisit. Deum querimus & nos, ô fili! Sed cur non invenimus? Non omnia relinquimus. Est cor nostrum divisum inter Deum, & mundum. Et hoc displicet cælo. Totum debemus! Totum demus pro toto. Pars non sufficit illi, qui sua omnia obtulit pro nobis.

*Instructio meritoria.*

Renovemus hodie vota solemnialia. His jungamus Rhythmum S. Ignatii: *O Deus! Ego amo te! Nam prior tu amastis me! En! Libertate privo me, et sponte vincetus sequar te.* Quoties in posterum S. synaxin sumimus, toties supplicemus pro heroico mundi, & nostrum ipsorum contemptu, & perfectissima abnegatione. Sine his & Deo, & homini displicemus.

**Festum S. Chilian** Herbipolensis Episcopi, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uam benè Paulus: Si hominibus placerem, Dei filius non essem. Idem

Idem & sibi S. Chilianus. Sanctitatis suæ fama undique sese diffundente, ut laudes effugeret, Præsulatum abdicat, & in Orientalem Franciam abit cum sociis. Amice! Quid nos inter adulatorum, & laudantium linguas? Quid inter mendacia? Ridet cor nostrum; dum tamen amarè flere deberet. Tot gladii petunt animam, quot ora laudantium. Non timebimus?

*Instructio meritoria.*

Ut salvemus Dei honorem, ad omnem hominum laudem taceamus, & Deum mentaliter alloquamur cum interno júbilo cantantes: *Te decet Laus! Te decet hymnus! Tibi gloria Deo &c.* Caveamus, ne & nos laudemus alios in hac vitâ. Fures, & latrones erimus meritorum, si ex numero adulatorum. In satisfactionem propriæ, & affectatæ laudis, sæpiùs *ad Gloria Patri*, si soli fuerimus, genuflectamus. Occulta pietas securior!

II.

**P**ROVERBIUM S. Chilianus erat: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem.*  
GOS-

Gosbertum à consortio Geilæ absternit, quia in conjugem habere non licuit. Amice! Non debemus odisse homines, peccatores; sed vitia, & scelera. Qui odit fratrem, & proximum suum homicida est. Quid crudelius?

*Instructio meritoria.*

Ut regnet pietas, & amor in cordibus Christianorum; econtra verò percat omnis injustitia, persecutio, & odium unum, vel alterum actum virtutis oppositæ exerceamus, in Ecclesia quàm devotissimè, ac exemplariter nos geramus, & speciale SS. Rosarium ex hoc fine SSS. Trinitati offeramus. Expectantur à cœlo, & terra hæc charitatis obsequia. Quis negabit?

III.

**C**ecidit sub gladio in victimam filii zeli Divus Chilianus. Cecidit non sine percussorum, & impiæ Herodiadis vindicta, & confusione. Nunquam occidit virtus. Habet sui defensorem Deum, & cœlum. Hanc ô bone filii. Quæramus, diligamus, & custodiamus. Et non habet, quod sibi timeat. Sat  
fortis

fortis stat contra inferos, quem virtus  
armat propria.

*Instructio meritoria.*

Pro inimicis orare, & his benefacere,  
opus quàm Christianum, quàm sublime,  
& sanctum est. Hujus occasio non de-  
est. Utamur, & pro omnibus, qui un-  
quam bonis vel animæ, vel corporis nos  
offenderunt, unam sacramentalem (ô si  
hodiernam!) Deo donemus Commu-  
nionem, ut eis remittat propitium Nu-  
men cum culpa & promeritam pœnam.  
Si charitatem cupiamus duplicare, jun-  
gamus & ipsum sacrificium Missæ. O  
quale inde nobis in cœlo præmium?  
Audiemus: Infirmus fui, & visitastis,  
consolati estis me.

Commemoratio Solemnis Ma-  
gni Patriarchæ SS. Patris, & Ma-  
gistri Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

**T**Ria debet filius Patri: *imitationem,*  
*amorem, reverentiam.* Has vir-  
tutes utique millies, ô dilecte in Domi-  
no! à nobis meruit Benedictus Pater  
cœlo,